

etiam opponit sese seductoribus, quod ipse talis non sit, quum admiranda ejus conversio & cursus inculpatus omnibus passim innotuerit. Magna erat, inquit *Cbrysostronus*, illius Autoritas ubiq; subinde celebrati & totius Orbis Doctoris existentis. *Proficitur se ministrum, non Dominum & Autorem, ut testetur, se verum esse Apostolum & Dei nuncium, utut miserabilis praesens ejus sit conditio, & servire se Domino etiam in carcere, & praedicare Evangelium tum viva voce praesentibus, tum literis & scripto absentibus.* Et hoc omne faciebat ad confirmandos Colossensium animos in Doctrina constanter tuenda, quam semel receperant.

§. 11. *Nunc gaudeo super afflictionibus meis pro vobis.* Suam illis nunc proponit constantiam in confessione Evangelii, & ad eandem eos hortatur, ita ut si vel maximè paria illis sint ferenda, animo tamen praesenti quaeque adversa patientur, propter hanc fidem & spem Evangelii. Ostendit illis non tantum suas passiones, sed etiam animum & causas, quò animò, quibus causis permotus tales sustineat. Animus non erat Mercenarii subterfugientis lupum, sed sinceri Evangelii Ministri, quò passiones non fugiebat, nec invitus sustinebat. Est aliquid gaudere de passionibus praeteritis, at plus est in praesentibus exultare, quod ipsum in ictu & sancto zelo ardentis animi est indicium, & de se quoque affirmat Apostolus. Non autem suas vocat Passiones, quod sibi ipse sponte sua imposuerit, sed quod ab Adversariis violenter sibi illatas promptè ferat.

§. 12. *Causae recensentur tres, cur patiendo gaudeat.* Prima respicit Colossenses, quia additur, *Pro vobis.* Non dicit, *gaudeo pro me,* quia nullum crimen expio; *non vice vestra, sed bono vestro* i. e. ut aedificemini & magis magisque confirmemini in fide & spe Evangelii, & per fidem consequamini salutem. Particula namque ὑπὲρ non semper notat satisfactionem, sed *vel commutationem*, ut Gen. IV. 25. cap. XXX. 2. Exod. VII. 1. *vel commodum*, ut Luc. IX. 50. & h. in l. Non Ergò sequitur, Paulus afflictus est in Ecclesiae commodum, Ergò quoque afflictus est satisfaciendo pro Ecclesiae peccatis horumve poenis. Cum gaudio affligebatur, ut ostenderet, se illis benè velle,